



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.37. Objectio ab Evcharistia petita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII. tibus. Quod hic semel notasse suffi-
 A. C. 787. ciat.

p. 430.

In refutatione deinde demonstratur, Concilium Constantinopolitanum in articulo de Imaginibus Jesu Christi sibi ipsi adversari, dum Catholicos accusat, quod simul utramque Hæresim Nestorii & Eutyechis propugnarent, quod esset impossibile, cum duæ illæ Hæreses directe sibi opponantur. Ad Sophismata I-

p. 435.

conoclastarum respondetur; Jesum Christum pingi in illa Natura, in qua nobis fuisset visibilis, Imaginem vero tantum ipsius nomen gerere, sed substantiam non

p. 439.

inesse. Nec idcirco a nobis duas Naturas dividi, cum potius Imago Humanitatis in nobis Ideam totius Jesu Christi

p. 427.

id est Verbi Incarnati excitet, sicut imago hominis puri in nobis ideam animæ corporisque ipsius producit.

§. XXXVII.

Objeçtio ab Eucharistia petita.

Sup. Lib.
 XLIII. §. 6.

Quod spectat ad Objectionem petitam ab Eucharistia, de qua Concilium Constantinopolitanum dicebat, solam esse

p. 447.

Jesu Christi Imaginem, quam venerari Christianis liceret, Concilium Nicenum

p. 50.

respondet in hunc modum: *Nullus Apostolorum aut Patrum unquam dixit; Sacrificium incruentum esse Imaginem Corporis Jesu Christi, non enim hanc Doctri-*

Doctrinam ab ipso acceperant. Non dixit ad eos; accipite, manducate imaginem corporis mei. Sed, accipite & manducate, hoc est corpus meum. Igitur satis exploratum est, nec Dominum, nec Apostolos, nec Patres unquam dixisse, Sacrificium incruentum a Sacerdote oblatum, imaginem esse, sed ipsum corpus, & ipsum sanguinem. Id quidem inficias ire non possumus, aliquos ex SS. Patribus ante Consecrationem Sacra Dona vocasse Antitypa, nempe S. Eustathium, Arianorum hostem formidandum, & S. Basilium; at vero post consecrationem nominantur, sunt, () & proprie creduntur Corpus & Sanguis Jesu Christi. Hac Doctrina contempta egregii homuli (nempe Iconoclastæ) ut Sacras imagines abolerent, aliam imaginem introduxerunt, imo non imaginem, sed corpus & sanguinem, quæ in re magnam quidem suam ignorantiam, majorem vero impietatem prodiderunt. Tum a mendacio paululum divertentes ad veritatem accedere videntur,*

(*) Hæc omnia satis accurate lingua vernacula reddit Interpres Fleurii Protestans, mille in hac Versione contra Religionem suam scribens, testimonia, quæ refutare non potest. Ceterum Cave natione Anglus dicere non erubescit Paschasium primum fuisse, qui hanc Doctrinam in medium attulerit.

Sæcul. VIII.
A. C. 787.

Sæcul. VIII. *tur, dicentes, esse Corpus Divinum. Ita*
A. C. 787. *in incerta rapiuntur, & tanta est opinio-*
num perturbatio, ut jam Sanctum Sacri-
ficiam Jesu Christi Corporis imaginem,
jam ex ipsius Institutione corpus esse af-
firmant.

6. *Octob.*

Perron.
Evch. l. II.
p. 648.

perpetuité
lib. VII. c. 7.

Quod hic in Refutatione falsi Con-
 ciliii dicitur, nullum ex Patribus aliquan-
 do Evcharistiæ nomen imaginis tribuis-
 se, accipi debet de imagine vulgari, quæ
 rei depictæ speciem solummodo exhibet,
 ipsam rem vero non continet, de ejus-
 modi enim imaginibus quæstio inter Or-
 thodoxos & Iconomachos movebatur.
 Sed illud negari non potest, Patres La-
 tinos non nunquam dicere, Evcharistiam
 esse Figuram seu Signum Corporis Jesu
 Christi, sicut nos Evcharistiam plerum-
 que Sacramentum appellamus, & a Pa-
 tribus Græcis non nunquam Typum vel
 Antitypum etiam post consecrationem
 dici. At nullibi lego, Evcharistiam a
 quoquam Græcorum *iconem*, nec a quo-
 quam Latinorum *imaginem* dici. Ve-
 rum, quamvis etiam Patres Niceni hæc
 Antiquorum loca non satis accurate ex-
 aminassent, duo tamen evidentiter con-
 stant, inprimis ipsos credidisse, Evchari-
 stiam esse proprium & verum Corpus
 Jesu Christi, deinde ab ipsis Iconoclastas
 nullatenus accusari, quod aliud crede-
 rent.

Con-

Concilium Constantinopolitanum, Sæcul. VIII.
 ut probaret, Imagines a Traditione Apostolica
 originem non ducere, dicit, A. C. 787.
 eas nullis precibus & nulla consecratione
 sanctificari, sed tales remanere, quales
 pictor fecisset. Concilium Nicenum
 id non negat, sed dicit, dari inter nos
 multas res, quæ sine alia consecratione
 solo nomine sanctæ essent. In exem-
 plum adducit figuram Crucis, quam ni-
 hilominus adoramus, & cujus signum
 fronti imprimimus vel in aere ad fugan-
 dos Dæmones digito formamus. *Ita etiam,*
inquit, veneramur imagines propter nomen,
quod gerunt, & personam, quam repræsentant.
Credimus aliquam Sanctificationem recipere osculando Vasa
Sacra, etiam nulla Benedictione consecrata.

Hodieque in Euchologio Græcorum
 nec preces nec Benedictiones ad Cruces,
 imagines & Vasa Sacra sanctificanda in-
 venire est.

Tum Episcopi Niceni ad Textus Scri-
 pturæ & Patrum a Constantinopolitanis
 objectos respondent, & firmissime Tra-
 ditione & Ecclesiæ infallibilitate nitun-
 tur. Ubi respondent ad Decretum Con-
 cillii Constantinopolitani, ostendunt illud
 sibi ipsi esse oppositum, quod Episcopi,
 damnatis universim Ecclesiarum imagi-
 nibus, eas tamen in Vasis & ornamentis
 rema-

p. 451.

p. 454.

Sæcul. VIII.
A. C. 787. remanere jubeant, vetentque eas violari, aut ad usus profanos adhiberi. Tandem respondentes ad Anathema Germano, Georgio, & *Mansur* dicto, magnos tres Viros S. Germanum Patriarcham Constantinopolitanum, S. Georgium Cyprensem, & S. Joannem Damascenum insigni elogio extollunt.

§. XXXVIII.

Sessio septima. Definitio Fidei.

Exinde elapso octiduo Concilii Niceni Sessio septima decimo tertio Octobris anno 787. habita.

Theodorus Episcopus Taurianensis Fidei Definitionem a Sacra Synodo concinnatam legit in hunc modum: *Definimus cum omni diligentia & cura, ut Sanctæ Imagines ex coloribus, sive ex tessellis, sive ex quacunque alia materia commode parata, sicut etiam figura Crucis, in Ecclesiis, in Vasis & Vestibus sacris, in parietibus & tabulis in domibus privatis & viis publicis collocentur, maxime autem Imago Domini Nostri Jesu Christi, Sanctæ ejus Genitricis, Angelorum, omniumque Sanctorum. Nam quo sæpius Christiani eorum imagines inspicunt, eo magis ad Prototyporum memoriam accedunt, & desiderio tenentur. His Imaginibus salutationis & adorationis honor exhibeatur, non autem vera La-*

tria,